



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

Epilogus omnium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

ERRORUM
Epilogus omnium

ET ista quidem quæ hæcenus ex Augustini mente, quantum eam Deo adjuvante capere datum fuit, de primi hominis gratia, & statu, & lapsu, de posteritatis ejus pœnis, de liberi arbitrii prostrati viribus & supplicijs, de pura natura, de damnata naturæ liberatione, de Christi Salvatoris medicinali adjutorio, de primæ & secundæ gratiæ differentia, de utriusque cum libero arbitrio concordia, de prædestinatione denique ac reprobatione hominum atque Angelorum disseruimus, nova multumque forsitan miranda videbuntur eis, quibus antiqua, quia incognita sunt, etiam videntur nova. Nihil in eis eruendis aptandisque indulli genio vel ingenio, ut ea in cujusquam invidiam concinnarem, nihil sententijs à me præoccupatis quasi abreptis tribuis; sed filiam doctrinæ cœlestis, ex omni parte sibi consonantis humiliter secutus, cum præoccupatis Theologicæ scholæ hujus temporis opinionibus perpetuo luctari coactus fui. Nec precibus ad Deum falsis peperci, nec laboribus multorum annorum pertinacibus, ut sensum sanctissimi Præsulis ac Doctoris assequerer; ne fortè vel defectu pietatis ab ostio invenienda veritatis repellerer, vel defectu lectionis diuturnæ ac sapienter repetitæ ac ponderationis omnium quæ undequaque consideranda videbantur, temerè ferrem de inventa quasi veritate sententiam. Vidi enim non paucos, nec exigui nominis Recentiores, qui se duces opinionum hoc tempore capitalium profitentur, incredibilem in modum ita lapsos esse, ut objectiones errantium pro solutionibus Augustini arripuerint, in illis capitibus doctrinæ, ubi de summa rerum agebatur. Paucis enim vacat, universam doctrinam ejus tantâ mole diffusam, tantis perplexitatibus impeditam volvere & revolvere, adhuc paucioribus libet, sine qua tamen animi obfirmatione & constantia, non posse profundissimi Doctoris hujus doctrinam sensusque penetrari, fidenter ac sine temeritate dixerò. Nec verò mihi ipse arrogaverim, me nulla ex parte ab ejus aberrasse sententia. Homo sum, humanorum lapsuum periculis obnoxius; quæ sicuti cavi quantum potui, ita ignoscet Lector ubi non potui, ut & assidui laboris consideratio temeritatis labem auferat, & sinceritatis intuitus, errandi simplicitati patrocinetur. Quod sicubi hallucinatus fuerim, hoc scio, me non in Catholica veritate, sed Augustini sententia asserenda cecidisse. Nec enim ego quid verum aut falsum, quid tenendum aut non tenendum in Catholica Ecclesiæ doctrina tradidi, sed quid Augustinus tenendum asseruerit ac docuerit. Quod si ejus obscuritas me fecerit, maximi beneficii loco ducam, laborumque plurimorum compendium faciam, si quis aliud ex Augustini scriptis demonstraverit. Quod donec humiliter ac desideranter exspecto, quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis, non juxta meam, sed juxta S. Doctoris mentem pronunciavi, ex Apostolicæ Sedis Ecclesiæque Romanæ matris meæ judicio, sententiæque suspendo, ut illud jam nunc tenendum si tenendum, revocem si revocandum, damnem & anathematizem, si damnandum & anathematizandum esse judicaverit. Nam quemadmodum istius Ecclesiæ ac Sedis mysterijs infantulus initiatus, & ejus fide cum lacte matris imbutus fui, & crevi, & adolevi, & senui, nec ab ea ad latum unguem, quod sciam, animo, aut facto, aut sermone deflexi; ita porro ad extremum usque spiritum vivere, ac Deo adjuvante mori, divinoque judicio sisti, mihi constitutum est; ut juxta sacratissimam ejus regulam, quæ à temporibus Apostolorum per successione continuam Romanorum Pontificum per universum Orbem prædicata & credita est, referam à Dei misericordia aut justitia bonum aut malum.

F I N I S.



ERRO